



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ Pontificum Romanorum

Ex Antiquis Monumentis Collectæ

Sandini, Antonio

Bambergæ, 1753

XI. S. Pius I. Anno Christi 158. Antonini Pii Imperatoris 19.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65446](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65446)

S. PIUS I.

ANNO CHRISTI 158.

ANTONINI PII IMPERATORIS 19.

Bar. an.
158. §. 3. **P** IUS Aquilejensis, Rufini filius dicitur à quibusdam. Hygino subrogatus est; idque pluribus scriptoribus tum coævis, tum recentioribus credo. (1) S. Optatus, & S. Augustinus post aliquantò nati, Hygino non Pium, sed Anicetum suggerunt. (2) Pio decretum de Pascha celebrando die Dominico perperam adjudicatur. Epistolam enim, ex qua illud sumitur, supposititiam esse non ambigitur. Nam quod habetur in Eusebii Chronico, *sancitum à Pio, ut Resurrectio Dominica die Dominicâ celebratur, quod à pluribus postea Pontificibus confirmatum est; id procul dubio deleri oportet, Præterquam quòd enim verba illa in MSS. Codicibus non reperiuntur, constat tale decretum de celebrando Paschate die Dominicâ ab Apostolis sancitum fuisse, ut docent Socrates lib. 5. cap. 21. Eusebius lib. 5. Hist. cap. 23. Et apud Bedam lib. de ratione*

An. 159.
§. 1. 2.

tione temporum seu de natura rerum, Adonem, & Marianum, licet totum fere Chronicon Eusebii transcripserint, nihil tale reperitur. (3) Alterius decreti de pœnitentia ab eo subeunda, cuius negligentia aliquid sanguinis Christi Domini effunderetur, auctorem Pium facit Gratianus cap. si per negligentiam 27. dist. 2. de Consecrat. Id ego certum affirmare non ausim, quia nullam apud vetustiores scriptores ejus rei mentionem invenio. Pontifex fuit annos novem & menses sex, tribus minus diebus: ejusque Pontificatus anno septimo, Christi quartam in Ecclesiam persecutionem Marcus Aurelius Antoninus, & Lucius Aurelius Verus Imperatores excitârunt. (4)

An. 167.
§. 1.
Pag. an.
165. §. 3.

ANNOTATIONES.

(1) Irenæo lib. 3. cap. 3. & Hegesippo apud Eusebium lib. 4. Hist. Eccl. cap. 21. ubi dicit, Aniceto, sub cujus Pontificatu Romæ degebat, Soterem successisse. Horum astipulatores sunt Eusebius Ipse in Chronico, Epiphanius hæc. 27. §. 6. & Nicephorus Callistus lib. 3. cap. 25. Vide Schelstratum in Antiquitate Ecclesiæ illustrata tom. 1. dissertat. 2. cap. 4.

C 3

(2)

(2) Ille lib. 2. contra Parmenianum §. 3. hic epist. 53. aliàs 165.

(3) Arnaldus Pontacus in Chronicon Eusebii pag. 615.

(4) Sulpicius Severus lib. 2. Hist. Sacrae cap. 31. *Quarta sub Hadriano persecutio numeratur*, quam Hieronymus epist. 84. vocat *persecutionem gravissimam*. Plerique tamen scriptores eam prætermittunt; puto, quod nullum in Christianos edictum Hadrianus promulgaverit, ut ex Tertulliano in Apolog. cap. 5. docet Baronius ad an. 120. §. 3. Orosius lib. 7. cap. 27. quartam facit, quæ sub Aurelio & Lucio Vero agitata est. Eusebius in præmio lib. 5. Hist. Eccl. scribit, eâ sæviante *ex incursione popularium, innumerabiles prope martyres per universum Orbem emittisse.*

XII.

S. ANICETUS.

ANNO CHRISTI 167.

M. AURELII & L. VERI IMPERAT. 5.

Bar. an. 167. §. 4. **A** NICETUS Syrus. Hic, teste auctore Libri Pontificalis, constituit, ut Clericus comam non nutriret §. 2. 3. secundum præceptum Apostoli, (1) & referente Eusebio lib. 5. Hist. Eccl. 173. §. 3. cap. 24. contentionem de celebratione Paschæ habuit cum Polycarpo S. Joan-